



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXVII. De Satisfactione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

cipes, & illimitatâ polleant auctoritate. Deinde fatemur, Lutheri vel Caluini Evangelium esse falsum. At verissimum Christi Evangelium clarè affirmat, à sacerdotum absolutione pendere peccatorum remissionem, quotiescunque scilicet contritiopœnitentis non est ex charitate perfecta, ideóque per sacerdotalem absolutionem suppletur. Demum casus seu quæstio proposita nihil prorsus habet difficultatis. Nam si pœnitens à parte rei ad absolutionem Sacramentalem ritè est dispositus, remittuntur ei peccata, quantumvis alter sacerdotum refragetur; quippe perinde est, ac si uni legitimo Sacerdoti fuisset confessus, atque ab eodem absolutus, cujus sententiam alius illegitimus & errans utique reddere irritam non potuisset.

XXXVIII. Respon. 3. ad Molinæum. Verba Sacræ Scripturæ esse clariora radijs solis. Cur ergo, ut ex ore DEI processerunt pro iudiciaria potestate Sacerdotibus concessa non intelligantur? Dicit Molinæus ideo non posse allata verba sic intelligi. 1. Quia aliàs sacerdos foret supra DEUM. 2. Quia scriptura absolutionem & mundationem à peccatis ubique Christo, ejusque passioni ac meritis tribuit. 3. Quia peccatori verè contrito prius jam condonantur peccata, quàm sacerdos illum ab eis absoluat. 4. Quia est aperta inconuenientia & impietas, asserere, sacerdotem culpam ac penam inferni condonare, atque insuper dare vitam ac beatitudinem æternam. Sed hæc prorsus frivola sunt, & nullum ex illis quidquam evincit. Non 1. quia Deus nulli obligatur, & semper supra omnes est; quantumvis factâ promissione ex fidelitate non possit non stare promissis. Cum igitur promiserit, remissa fore peccata ijs in cælo, quibus Apostoli & sacerdotes illa remiserint in terra, vi hujus promissionis fieri id oportet; siquidem *unum iola, aut unus apex non præteribit* de verbis & promissis DEI Matth. 5. v. 18. Non 2. Quia verissimum est, Christum, sanguinem ac Passionem hujus liberare ac mundare nos à peccatis meritorie; sed præter has causas meritorias dantur Sacramenta tanquam causæ instrumentales, quæ Sacramenta veluti instrumenta gratiam DEI per merita, ac Passionem Christi illis applicata in nobis operantur. Unde Confessione & Absolutioni, hoc est, Sacramento nequaquam tanta virtus tribuitur, quanta ipsi Passioni ac meritis Christi. Verissimè igitur & Christus & Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ &c. nos mundant à peccatis, nempe ille principaliter: ista instrumentaliter. Non 3. Quia DEUS utique de eadem re bis sententiam ferre potest; primò apud semetipsum in altissimo & secreto suo consilio, quod nulli nisi ipsi pater: deinde apud Ecclesiam & hujus Ministros, qui vices DEI gerunt, & cum peccatoribus agunt. Cum enim DEUS non absque aeternis nobiscum tractet, utitur curatoribus animarum veluti instrumentis. Et quid occlamare possunt hæretici, si DEUS peccata utroque modo, sicuti potest, peccatoribus remittat? Non denique 4. Quia nullum prorsus est in conveniens, DEUM medianibus Ministris Ecclesiæ & animarum curatoribus donare vitam ac beatitudinem æternam, atque insuper culpam & penam æternam condonare; imò palpabilis ac horrenda est impietas, istud contra expressa verba scripturæ negare. An


non ait Christus Joannis 20. v. 23. *quorum remisistis peccata, remittentur eis.* Quid ergo hæreamus? Non magis expressis DEI verbis credamus, quàm Molinæo aut Amefio? Nunquid ipse Calvinus ait L. 4. Just. c. 1. n. 4. non alium nos habere aditum ad vitam, quàm per Ecclesiam matrem nostram, si ista in ventre suo nos concipiat, pariat & uberibus suis lactet? Si igitur DEO placuit, nos solummodo per ministerium Ecclesiæ, & non per aliam viam ac rationem ad cælum ducere, ejusdem est, huic divinæ ordinationi perquam consentaneum esse, si dicamus, DEUM remittere nobis per Ecclesiæ Ministros & animarum Curatores culpam & penam æternam; atque insuper dono concedere Beatitudinem, semper intelligendo, sacerdotes solum tanquam instrumenta & virtute concessæ ipsis potestatis, ac vice DEI: ipsum verò DEUM tanquam supremum Dominum habere id ratum juxta promissionem suam. Unde cum veritate dici nequit, hac in re quidquam DEI honori atque auctoritati detrahi.



CONTROVERS. LXXVI.

DE SATISFACTIONE.

Diximus supra §. V. Satisfactionem esse partem Pœnitentiæ, & ad materiam hujus Sacramenti spectare, quæ proinde in præcedente controversia unà cum alijs partibus expediti potuisset; quia verò est tantum pars integralis, & plura continet, quæ hæretici in litem trahunt, idcirco illam peculiari controversiâ tractandam sumpsimus; & cum eadem satisfactio potissimum fieri amat per orationem, elemosynam, jejunium ac corporis castigationem, de his quoque singillatim nonnihil dicemus.



PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

1. **D**octrina prima. Remisso peccato Mortali quoad culpam & reatum penæ æternæ de facto non semper etiam remitti penam temporalem. Ita omnes Catholici, & habetur in Tridentino Sess. 6. c. 14. cit. supra Contr. 61. §. 14. ubi hanc ipsam doctrinam obiter attigit cum alijs Doctoribus, qui eandem pluribus ibidem tradere solent. Probatur 1. aliquot exemplis Sac. Scripturæ. primò ipsius Adami & Posterorum ejus, qui in vindictam peccati originalis, quantumvis jam remissi per baptismum in Testamento Novo: & per circumcisionem aut aliud remedium in veteri, morte puniuntur, aliisque calamitatibus subjiciuntur, juxta verba illa DEI Genes. 3: *quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Et ibid. *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et iterum: *in dolore paries filios:* Et Apostoli Roman. 3. [v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit,*

Et per peccatum mors. Secundò Moyses & Aaron Num. 10. v. 12. Dixit Dominus ad Moysen & Aaron, quia non credidistis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo. Et Deuter. 32. v. 48. locutus est Dominus ad Moysen dicens: Ascende in montem istum, & morere, sicut mortuus est Aaron frater tuus, quia prævaricati estis contra me in medio Filiorum Israël. Quid clarius? ideo puniuntur, quia prævaricati sunt: Davidis Regis, qui post remissam culpam adulterij & homicidij punitus est morte Filij, alijsque penis 2. Reg. 12. v. 11. & 24. Et rursus ob peccatum numerati populi licet remissum quoad culpam eligere cogitur aut bellum aut famem aut pestem 2. Reg. 24. v. 13. Similia habentur Exodi 33. Num. 14. & 26. 3. Reg. 12. 1. Corinth. 11. &c. Duo contra objici possunt. Primum. Pœnæ istæ sunt per modum medicinæ & cautelæ. Alterum eædem pœnæ sunt extraordinarium DEI opus. Verùm interpretatio hæc planè adversatur Sacræ Scripturæ. Quoad primum igitur fuisse pœnas istas non tantum per modum medicinæ & cautelæ, Sed etiam vindictæ inflictas, patet clarè tum ex ipso quodque pœnarum genere, quia mors non potest ipsi peccanti propriè dici medicinalis, siquidem ipsa penitus tollit, non curat; similiter dolor, quem sentit mulier in partu, nihil habet medelæ & cautelæ, qui spectando solam naturam reipsa evenisset, etiamsi peccatum non extitisset; tum ex ipsius scripturæ textu loc. cit. quippe non medentis sed punientis & vindicantis est vox illa 2. Reg. 12. v. 10. *quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, ed quod despexerit me, & tuleris uxorem Uria Hebræi, ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores in oculis tuis.* &c. In quem sensum etiam Exodi 32. DEUS, postquam peccatum idololatriæ tum propter populi pœnitentiam, tum propter Moysis intercessionem remiserat, nihilominus subjungit v. 24. *ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum.* Quoad alterum, non fuisse eisdem pœnas extraordinarium DEI opus, pater itidem tum ex frequentia exemplorum, tum ex similitudine rationis; si enim uno in casu post remissam peccati culpam remanet aliqua pœna temporalis secundum divinæ Justitiæ sententiam luenda, quidni etiam idem accidat in alijs casibus, & quidem ijs omnibus, in quibus non plena satisfactio pro peccato fuit exhibitæ.

II. Probat 2. ex Patribus. S. Augustinus Tract. 124. in Joann. ita scribit: *hanc itaque vitam, de qua scriptum est: nunquid non tentatio est vita super terram; cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis; quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debite miserie, vel ad emendationem labilis vite, vel ad exercitium necessaria Pœnitentia, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quam jam ad damnationem eternam reum non detinet culpa. Et in enarrat. Psal. 50. circa illum vers: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, sic ait: veritatem dixisti, id est impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, non reliquisti. Et ibidem. consentienti ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia & veritas. Misericordia, quia homo liberatur: Veritas, quia peccatum punitur. Consentient alij Patres & Doctores, qui ob hanc ipsam etiam causam tum satisfactionum usum, tum Missæ sacrificium com-*

mendant. Videri possunt Cardinal Bellarmino Lib. 4. de Pœnit. c. 2. & Gregor. de Valentia. Tom. 4. Disp. 6. Q. 17. pun. 5. Probat 3. Tum ex ordine Justitiæ, qui exigit, ut qui DEUM offendit, ipsi satisfaciatur. At quamvis homo non possit satisfacere pro pœna æterna, potest tamen pro temporali. Sicuti ergo ad Misericordiam spectat, ut æterna pœna gratis illi remittatur, ita ad Justitiam spectat, ut pro temporali pœna homo satisfaciatur. Tum ex eo, quod in omni Republica bene ordinata simile quid Videatur. Nam etsi reo dolenti remittatur culpa in ratione culpæ, pœna tamen seu satisfactio adhuc aliqua ei imponitur. Sed unde hæc pœna temporalis oritur? Valde probabile videtur, quod docet Arriaga Disp. 19. de Pœnit. sect. 2. totâ, non errari ex natura rei, & quasi necessario, sed ex libera DEI voluntate, non tamen absque iustissimis causis ita disponentis. Quando igitur DEUS statuit, hominem in mortali decedentem eternam pœnâ damnare, nihil quidem nostro concipiendi modo cogitavit de statuenda pœna aliqua temporali, casu quo peccatum condonaretur, sed circa hanc præcisivè se habuit; attamen optimo jure postea, dum acceptare decrevit nostram contritionem pro remissione culpæ, dicere potuit; Etiam si velim positâ contritione te in amicitiam meam recipere, & pœnæ æternitatem condonare, nolo tamen totam pœnam dimittere, sed adhuc pro furti peccato v. g. duobus diebus: pro tali autem luxuria tribus &c. te in purgatorio punire volo. Quamvis autem pœna hæc temporalis ex veriore sententia Bellarmini, Valentia, & aliorum Theologorum per se, & secundum primariam divinæ Providentiæ legem, in altera vita sit luenda, hoc tamen non obstat, quò minus ex divina quadam indulgentia in hac vita exsolvi possit. Dixi valde probabilem esse sententiam P. Arriagæ, ut suam relinquerem probabilitatem opinioni quorundam Recentiorum, qui in peccato tres considerant formalitates; primam ex transgressione legis; secundam ex voluntaria aversione ab ultimo fine; tertiam ex offensa divinæ Majestatis, ac primæ harum velut effectum morale respondere ajunt pœnam temporalem subeundam. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 271. ubi doctrinam nostram contra Crotium in Anti-Becano pluribus tradunt ac tumentur.

III. Doctrina secunda. Ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ sive ad plenam remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam necessariò quoque est satisfactio aliqua sive exolutio pœnæ post remissam culpam restantis: & pro hac pœna homines in ista vita satisfacere possunt. Ita omnes Catholici. Prima pars constat ex priore contr. S. 7. Alteram tradit Concilium Tridentinum Sess. 14. can. 13. his verbis: *si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minime DEO per Christi merita satisfieri panis ab eo influctis, & patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, sed neque sponte suscipitis, ut jejunijs orationibus, elemosynis, vel etiam alijs pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.*

IV. Hinc inferitur 1. Confessarium ordinariè teneri sub mortali injungere pœnitenti satisfactio-nem sive pœnitentiam, tum quia hoc præcipit Tridentinum Sess. 14. c. 8. sicuti etiam cap. omnibus utriusque sexus. tum quia hoc Sacramentum inflitu-

institutum est per modum iudicij & medicinæ; in iudicio autem delictum non omnino condonatur, sed vindicatur, imponendo penitentiam delinquenti: medicina verò tendit ad correctionem. Unde etiam penitens tenetur eam satisfactionem legitime impostam acceptare & implere, ut docent scholastici. Nam juxta Tridentinum facultas imponendi penitentiam oritur ex potestate ligandi, quam Christus dedit sacerdotibus. Ergo penitens tenetur impostam satisfactionem à Confessario non tantum acceptare, sed etiam implere; siquidem potestas ligandi in superiore trahit secum necessariò suum Correlativum, obligationem scilicet in subdito; aliàs non esset ligatus, si maneret ut ante. Inferitur 2. fieri posse, ut tota pœna per hoc Sacramentum remittatur; nimirum si contritio sit satis fervens & perfecta, sicuti innuit Tridentinum Sess. 14. can. 12. solum negans, illam semper remitti, & hoc ipso tacite insinuans, interdum remitti, sicuti D. Petro & Magdalenæ nulla pœna à Christo iniuncta legitur. Inferitur 3. triplicem esse satisfactionem, ut aperte docet idem Tridentinum Sess. 14. cit. c. 9. primam spontaneam, opera pœnalia in vindictam peccatorum suscipiendo: alteram à Confessario impostam, exequendo opera, quæ ipse in satisfactionem iniunxit: ultimam à DEO immittam patienter suscipiendo, quicquid vel ipse nobis adversi immisit, vel aliunde accideret permisit. Inter omnia autem opera satisfactionis, quæ à nobis suscipi possunt, singulariter commendantur oratio, Eleemosyna, Ieiunium &c. Inferitur 4. Pœnas à DEO inflictas interdum nullis spontaneis penitentijs redimi aut commutari posse, ut constat experientiâ. Nam mors ceteraque hujus vitæ miseræ in pœnam peccati originalis inflictæ nullis bonis operibus redimi valent; sicuti nec Moyses nec David ullis precibus aut jeunijs pœnas à DEO determinatas effugere potuerunt; id ipsum etiam hodie fieri videmus in privatis morbis, in peste, fame & bello; quamvis autem DEUS non exaudiat preces in eo concedendo, quod petitur, tamen aliquid melius concedit, videlicet patientiam, & bonam mortem.

V. *Doctrina tertia.* Justi per opera pœnalia in hac vita extra Sacramentum Deo satisfacere possunt pro pœnis temporalibus, quæ post peccata quoad culpam deleta remanent. Ita omnes Catholici de fide tenent. Probat. Tum ex illo Luc. 3. v. 8. *Facite fructus dignos penitentia.* Tum quia istud aperte post Florentinum Concilium definit Tridentinum Sess. 6. cap. 14. Et Sess. 14. cap. 8. & 9. accan. 13. cit. Tum quia SS. Patres passim hortantur nos ad opera Penitentia pro integra peccatorum remissione acquitenda; quod in primis sedulo facit D. Augustinus instruens, quomodo nos ipsos puniamus, & DEUM præveniamus, cum peccatum puniri debeat; si ipsimet non puniamus & DEO satisfactionem præbeamus, ipse hanc à nobis exigit & sumet. Ita in Psal. 44. scribit: *Puniendum est peccatum; si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum (DEUM) non vis, ut ipse puniat, tu puni, ideo enim adhuc parcat, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est, minas; clamaret tantum ferituum se; si vellet ferire. Differt ergo manum à peccatis tuis, tu noli differre. Convertite te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, ut ille ignoscat.* Similia

habet in Psal. 50. super illa verba, *Et à delicto meo munda me.* Et alibi. Tum quia idem perpetua praxis Ecclesiæ tenuit, ut videre est apud Card. Bellarminum de Pœnit. Lib. 4. c. 9. ubi per undecim sæcula clarissima Patrum testimonia adducit; in quibus cum peculiaris fiat mentio orationis, Eleemosynæ, Ieiunij, Castigationis corporis, placet distinctim de ipsdem tradere eam Ecclesiæ doctrinam, à qua Secularij aberrant, & in altera hujus controversiæ parte refutari debent Itaque.

VI. *Doctrina quarta.* Oratio ac nominatim illa, quæ certis horis ex præscripto Canonum fit, atque idcirco horæ canonicæ dicuntur, est optima, utilissima, Deoque gratissima. Ita omnes Catholici de fide tenent. Probat. 1. autoritate Apostoli ad Ephes. 5. v. 19. sic exhortantis: *implemini spiritu, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in Nomine Domini nostri JESU Christi DEO & Patri.* Quam Apostolicam adhortationem Ecclesia plane per officium istud exequitur. Nam, ait Haymo in cit. hoc. *nobismetipsis loquimur, quando alternatim canimus psalmos; Psalmus dicitur à psallendo: Hymnus sonat Laus DEI &c.* Hymnos autem apud Latinos composuerunt Ambrosius & Hilarius præclarissimi viri. Probat. 2. ab exemplo ipsius Christi Domini, qui cum Discipulis suis hymnum solitus fuit dicere Matth. 26. v. 30. *& hymno dicto exierunt: Davidis Psal. 118. v. 164. septies in die laudem dixi tibi. Et rursus v. 62. mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. Et v. 148. Prævenere oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Demum Psal. 54. v. 18. Vespere & mane & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam: Danielis, qui tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram DEO suo, sicut facere consueverat. Danielis 6. v. 6: Atque etiam aliorum Sanctorum, quos constat, similiter statis temporibus & certo modo precari fuisse solitos, juxta id, quod universim de Justo dicitur Ecclesiast. 39. v. 6. *cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur &c.* Probat. 3. ex antiquissimo Ecclesiæ usu; quippe constat, jam ab Apostolorum temporibus fuisse usitatam à viris præsertim Ecclesiasticis certam aliquam orandi normam, quæ non multo post in primis ex parte, dein omnino in hanc ipsam horarum canonicarum formam redacta sit. Unde Venerabilis Beda in cap. 18. Lucæ circa illud v. 1. *oportet semper orare.* hujusmodi orationem tanquam antiquâ Ecclesiæ traditione comprobata memorat, atque etiam usitato nomine Horas canonicas appellat: *Dicendum, inquit, eum semper orare, & non desicere, qui Canonicis Horis quotidie juxta ritum Ecclesiastica traditionis psalmodijs, precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit: & hoc est, quod Psalmista dicebat Psal. 33. Benedicam Dominum in omnitempore; semper laus ejus in ore meo.* Psalmus autem æternis choris recitari solitus fuisse, constat ex antiquissimo Tertulliano, qui lib. ad uxorem scribit, *psalmum inter duos sonare;* Atque hunc psallendi modum Angelorum exemplo didicisse, & Ecclesiæ Antiochenæ tradidisse Ignatium Martyrem, scribit Socrates Lib. 6. Histor. cap. 8. Probat. denique 4. ratione. Quia nihil est in toto hoc Horarum Canonicarum instituto,*

tuto, quod jure reprehendi possit. Nam in eis vel laudatur & rogatur DEUS: vel leguntur Sacræ historiæ aut Prophetiæ aut doctrinæ & admonitiones Sacræ, uti sit in Antiphonis, psalmis, hymnis, lectionibus, responsorijs, versiculis, capitulis, collectis: vel etiam quandoque imploratur intercessio Sanctorum apud DEUM, quod omnino piè saluberrè fieri, supra ostendimus. Quod autem Personæ Ecclesiasticæ ad certam hanc orationis formam obligentur, nihilo magis displicere potest; siquidem Ecclesia habet potestatem obligandi ad actus pios & salutare, quales sunt hæ præcationes Canonice. Et quos magis ex omnibus hominibus, quàm Ecclesiasticos convenit in terra imitari Seraphinos, qui in cælo DEUM laudando clamant assiduo alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus &c. Isaia 6. v. 3.

VII. Doctrina quinta. Eleemosyna vim habet delendi peccata, & pro his satisfaciendi. Ita omnes Catholici, & habetur clarè in Sacra Scriptura. Tobia 4. v. 11. Quoniam Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur, animam ire in tenebras. Ibidem c. 12. v. 9. quoniam Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam. Ecclesiast. 3. v. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis. Danielis 4. v. 24. Et peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Luca 11. v. 41. Verumtamen quod super est, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sacræ Scripturæ consonant testimonia SS. Patrum. D. Chrysostomus Conc. 4. de Lazaro sic scribit: Supplicium de seipso exigit (homo) pro peccatis &c. per Confessionem, per jejunium, per eleemosynam, per continentiam ac charitatem, ut possimus omnes omni modo hic de peccatis multa cum fiducia illuc proficisci. D. Hieronymus in Psal. 133. ita commentatur: Grande nobis beneficium præstant pauperes. Peccata, quæ jam aliter lavare non possumus, extinguit eleemosyna. Quid scriptum est? sicut aqua extinguit ignem, sic Eleemosyna extinguit peccata. Quomodo Baptisma nobis peccata dimittit, ita & eleemosyna nobis peccata dimittit; peccatis enim gehenna ignes præparati sunt, hos autem extinguit Eleemosyna. D. Augustinus in Psal. 37. hoc est, inquit, gerere curam pro delicto, semper nitri, semper intendere, semper studiose & sedulo agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lacryma currunt, & manus cessant. Fiant Eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato DEI. Eget ille, eges & tu. Eget ille ad te, & tu ad DEUM. Tu contemnis egentem tui, DEUS non contemnit egentem sui. Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat DEUS interiora tua. Hoc est curam geram pro peccato meo, faciam omnia, quæcumque faciendæ sunt, ad abluendum & sanandum peccatum meum. Similia habent alij SS. Patres in Papatu Catholico Jacobi Keller. Tom. 2. à fol. 766.

VIII. Sed quâ ratione Eleemosyna gratiam & remissionem peccatorum conciliat? Pro resolutione hujus dubij duo ex communi sententia Scholasticorum statuo. Primum. Eleemosyna per se vim infallibilem ad gratiam conciliandam aut conservandam non habet ex opere operato, ut Sacramenta: nec ex opere operantis, ut actus v. g. contritionis perfectæ seu amoris DEI super omnia. Probat. Tum ex Sac. Scriptura 1. Corinth. 13. v. 3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Luc. 11. v. 42. Væ vobis, qui decimatis

mentham &c. hæc oportuit facere &c. Tum quia Eleemosyna qualibet per se stare potest cum affectu vigente ad peccatum mortale. Unde nonnulli Theologi, hæreticum esse dicunt, quod eleemosyna remittat peccatum sine penitentia, &c. dum. Eleemosyna duobus alijs modis liberat à peccato juxta allegatas scripturas; uno modo infallibiliter, sed per accidens, ratione scilicet, adjuvantiæ charitatis, quando propter DEUM super omnia dilectum datur: altero modo per se quidem, at remotè tantùm, & non infallibiliter, quatenus videlicet per eam piè ac legitime frequentatam impetrantur auxilia gratiæ actualis, quibus plerumque homines liberaliter misericordes efficaciter commoventur ad quærendam amissam gratiam sanctificantem, atque obtentam conservandam; de quorum proin salute spes magna jure concipi potest juxta illud Matth. 5. v. 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; quod nominatim tradunt Beata & Bonavent. in illud Luc. 11. v. 41. Ecce omnia munda sunt vobis.

IX. Doctrina sexta. Jejunium, ut est actus abstinentiæ à cibis alioqui licitis ad edomandam carnem aut alios fines laudabiles directus, est bonum, pium, atque utile. Ita omnes Catholici. Probat. 1. Tobia 12. v. 8. Bona est oratio cum jejunio. Joëlis 2. v. 12. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Matth. 6. v. 17. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum &c. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 2. Corinth. 6. v. 5. Exhibeamus nosmetipsos sicut DEI ministros in multa patientia, in vigilijs, in jejunijs, in castitate. Probat. 2. ex Patribus. In concilio 1. Tolitano in assertionem Fidei approbavit Patres abstinentiam à carnibus avium seu pecudum pro castigatione corporis. Tertullianus Lib. de Resurrect. carnis: Sacrificia DEO grata constitutiones dico anima jejunia & seras & aridas escas. D. Athanasius Lib. de Virginitate. Amplectamur, inquit, valde jejunium; magnum enim munimentum est. Et infra: Demones fugat malisque cogitationes expellit, & mentem nitidiorum reddit, & cor purgatus, & corpus salubrius, & ad thronum DEI sedit hominem. Leo ferm. 2. de jejunio decimimense sic præclare scribit: Semper virtuti cibum jejunium fuit; de abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria concilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentijs moritur; virtutibus spiritus innovatur. Similia passim alij. Probat. 3. ratione. Nam sicuti malum quoddam hominis est, carnem & sensualitatem repugnare rationi: ita ex opposito bonum ejusdem est, secundum rectam rationem vivere, uti tradit S. Dionysius de div. Nom. cap. 4. part. 4. Ergo illud etiam per se bonum, pium & utile est homini, quod valet ad subjungendam carnem rationi & spiritui; ejusmodi vel maximè est jejunium. Par est ratio de alijs finibus pijs, quos in allatis verbis insinuarunt Patres, & ad illos obtinendos servire jejunium affirmarunt.

X. Præter hanc universalem doctrinam speciatim nonnulla dogmata de jejunio tenenda. Primum. Fideles in conscientia ad certos jejunij dies obligari possunt. Probat. Rom. 13. vers. 2. dicitur: Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ubi D. Paulus non solum de sæculari, sed etiam de Ecclesiastica potestate loquitur; hanc autem in conscientia obligare, patet tum ex verbis illis qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit, tum ex illis, qui re-

qui resistunt ipse sibi damnationem acquirunt, tum ex v. 5. necessitate subditi esse, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, id est, non solum propter metum poenae, sed etiam propter metum culpae. Ergo potestas Ecclesiastica in conscientia obligat. Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit &c.* Hæc verba, sive de Apollolis & eorum Successoribus sigillatim, sive de omnibus simul congregatis intelligantur, ostendunt vel toti Ecclesiae vel ejus Præsidibus esse obediendum, tanquam Christo, & consequenter omnes Fideles in conscientia ad observationem Christi præceptorum obligantur. Nec dici potest, obligationem obediendi Ecclesiae præceptis irriti solum ratione scandalii, & culpam omnem supra scandalum, non autem supra præceptum cadere. Nam quis dicere audeat, Fidelem seposito scandalo non peccare in conscientia, si DEO non obediat? Cum autem non sit potestas nisi à DEO, & qui resistit potestati, DEI ordinationi resistat: item cum Christum non audiat, qui Ecclesiam non audit, ut ex recens dietis patet, aperte sequitur, eum, qui Ecclesiae non obedit præceptis, Deo etiam non obedire, adeoque seposito scandalo in conscientia peccare. Unde S. Leo Papa serm. 13. de jejunio decimi mensis: *in his, inquit, diebus, qui huic operi (jejunio) sunt specialius præstituti, major animositas, & cura excitanda est ferventior, ne quod pium est agere non inditum, impium sit negligere prædicatum.*

XI. *Secundum.* Certe illi dies, quales sunt quadraginta Festum paschale præcurrentes, quatuor tempora, vigiliae, feria sexta & Sabbathi non fuerunt privata cujuspiam autoritate jejunij deputati, sed à Christo & Apostolis profecti. Probatum ex opinione antiquissimorum Patrum. S. Ignatij Martyris in epist. ad Philipp. S. Hieronymi Epist. ad Marcell. Et in c. 3. Jonæ. Epiphanius hæres. 73. Augustini in Psal. 110. ubi ait: *Præcipitur nobis Quadragesimale jejunium & ex Lege. & ex ipso Evangelio, S. Leo serm. 9. de Quadrag. ubi ait: à Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt instituta jejunia, ut per commune consortium crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus.* Similia habent alij. Confirmatur ex communi receptaque D. Augustini Regula, Lib. 4. de Bapt. cap. 24. quam in formam Syllogisticam sic redigimus. Illa omnia credenda sunt descendere ab Apostolica institutione & autoritate, quæ universa primitiva Ecclesia per continuam temporum successionem semper observata, & in nullo Ecclesiae Concilio fuerunt instituta. Sed jejunium quadragesimale, aliæque supradicta esse talia, patet inde, quod in nullo Concilio Ecclesiae eorum institutio inveniatur, & eorumdem mentionem faciant Patres, qui Concilia Ecclesiae præcesserunt. Ergo certi dies isti jejuniorum ab Apostolica institutione & autoritate censendi sunt descendere. Plura de hac re Cardinal. Bellarminus Lib. 2. de bonis operibus, in partic. à cap. 14.

XII. *Tertium dogma.* Jejunium Ecclesiae est pium & laudabile, dum fit per abstinentium à carnibus, ovis, lactinijs, adeoque cum delectu ciborum. Probatum 1. Daniel cap. 10. vers. 2. ait: *Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introjerunt in os meum.* De Joanne Baptista Matth. 3. v. 4. legimus: *esca autem ejus erant locustæ, & mel Sylvestre.* Hiermiæ 35. v. 6. *Recchabiturum & Nazaræorum lex dicitur, ut à vino, & omni, quod inebriare potest, abstineant.* Et hoc

jejunij & abstinentiæ genus laudatur in Sac. Scriptura; imò ex humano etiam præcepto susceptum præmio afficitur, ut patet ex cit. cap. Jeremiæ. Prob. 2. ex Concilijs & Patribus relatis apud Valentiam Tom. 3. D. 9. Q. 2. fol. 1633. Sufficiat nobis S. Epiphanius in compendiaria doctrina de Fide Cathol. & Apost. Ecclesiae ubi scribit: *Sunt præterea alia præeminentes vite conversationes, quæ in eadem Sancta Catholica Ecclesia servantur, eorum, inquam, qui ab omnibus carnibus abstinent.* Accedit huic probationi, apud Eremitas Antonios, Hilariones & similes usum abstinentiæ à carnibus nominatum, & non solum à lautitijs in communi fuisse frequentissimum, & maximè probatum & laudatum. Probatum 3. ratione. Finis jejunij est, corporis concupiscentias edomare, & in servitutem redigere, ut docet S. Augustinus Lib. 30. cont. Faustum c. 5. neque Adversarij id negant. Atqui non poterat certa & communis regula constitui circa quantitatem cibi sumendi, vel circa lautitias & condimenta ciborum; siquidem hæc innumeris modis variantur, & quod multum est uni, modicum est alteri, quod uni lautum, alteri non est tale. Ergo regulam constitui oportet penes abstinentiam ab aliquo genere cibi, qui universim loquendo magis nutrit & delectat, qualem esse carnem pecorum & avium omnes facile concedunt.

XIII. *Doctrina septima.* Flagellatio, cæteraque corporis castigatio piè sanctèque suscipitur ad satisfaciendum DEO offenso. Ita omnes Catholici Prob. 1. ex Sacra Scriptura. Colossens. 3. v. 5. *Mortificate membra, quæ sunt super terram.* Galat. 3. v. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Hos locos Patres communiter de corporis castigatione, quæ per flagella, cilicia &c. contingit, interpretantur. D. Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Pascha scribit, *DEUM creasse hominem: eundem spiritum & carnem; spiritum propter gratiam, carnem ob elationem: illud ut maneat, eumque, cujus beneficijs ornatus est, concelebrat: hoc ut recedat, ac vexationibus admoneatur, & de magnitudine sibi placens erudiatur & coercatur.* Et mox: *Tibi per zonam & temperantiam restringatur pars illa, quæ libidine aestuat, ac velut hinnitum edit; hoc namque verbo scriptura hunc affectum exagitant utitur. Ita fiet, ut mortificatis membris, quæ sunt super terram, Pascha purè comedas.* Apostolus ad Corinth. epist. 1. c. 9. v. 27. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Castigo, inquit, scilicet per jejunia, vigiliae, cilicia, flagella &c. græcum enim verbum *ἀνακασο* etiam Beza, Melanchthon, Castalio, alij vertunt *contundo*; contusio autem non fit sine percussione, verbere, vel simili violenta carnis afflictione; quam aptissimum instrumentum esse ad virtutē & perfectionem, plenamque de vitijs & hostibus victoriam, dummodo cum discretione assumatur, docent S. Hieronymus Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius & D. Thomas relati apud Tirinum in hunc text. quibus addo Gregor. Nazianzenum orat. 16. ubi ait: *Rulebra res corporis castigatio! id tibi Paulus per suadeat, seipsum adhuc domans & coercens.* Probatum 2. Ex Sanctis Patribus, quos fuse allegat Jacob. Keller in Cachol. Papatu Tom. 2. à fol. 235. sufficiat nobis D. Epiphanius commemorans, quas castigationes corporis in Majore seu Sancta Hebdomade

domade antiqui Christiani exercuerint: & quomodo hæretici (uti nunc etiam fieri amat) iisdem impiè insultarint, sic hæresi 75. scribit: *in diebus autem Paschali, quando apud nos sunt humidormitiones, castigationes, afflictiones siccorum eius, preces, vigilia ac jejunia & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones: ipsi à summo mane obsonantur, carneque ac vino venas suas explentes cachinnantur ridentes ac subsannantes eos, qui Sanctum hunc cultum hebdomadae Paschalis perficiunt.* Probatur 3. Ratione. Quidquid in vera Christi Ecclesia apud sanctos homines semper in usu & praxi fuit, id non nisi temere & insipienter rejicitur. Atqui flagellatio & dura corporis castitio apud sanctos DEI servos semper fuit in usu & praxi. Ergo non nisi temere & insipienter rejicitur. Major patet per se. Minorem ostendunt tot exempla Sanctorum, quorum alij semper alios priores in Sancto exercitio imitati sunt, ut in illorum vitis videre est. De Sancto Dominico Prædicatorum Fundatore scribit S. Antoninus Part. 3. Histor. Tit. 23. c. 1. §. 2. in hæc verba: *Trinam disciplinam quasi quotidie de manu propria non chordulâ, sed catenâ ferreâ usque ad sanguinis effusionem capiebat. Pro suis culpis unam, que minima erant. Pro in purgatorio existentibus aliam. Tertiam pro ijs, qui in mundo versantur.* Videantur Jacobi Gretseri libri tres de Spontanea Disciplinarum seu Flagellorum cruce, quos ex Sacris litteris, Sanctorumque probatis Historijs potissimum collegit, & nullus unquam hæreticus refutare illos potuit.

XIV. *Doctrina octava.* Iusti per prædicta opera pœnalia in hac vita non quomodocunque solum satisfacere pro pœnis temporalibus possunt, sed etiam de condigno & ad æqualitatem iustitiæ. Ita communiter sentiunt Catholici Doctores, teste Cardinali de Lugo Tom. de Pœnit. Disp. 24. num. 8. Ratio est, quia Iustus per opera bona potest de condigno & ad æqualitatem iustitiæ promereri vitam æternam, ut diximus supra Contr. 57. §. 3. Ergo multo magis poterit sic promereri remissionem pœnæ temporalis, adeoque etiam pro ea de condigno & ad æqualitatem satisfacere. Porro ad prædictam Satisfactionem variæ requiruntur conditiones. 1. ut sit hominis iusti; quia universim in peccatore nullum propriè est meritum. 2. ut sit viatoris; quia in altera vita satisfactio, non item etiam satisfactio locum habet. 3. ut opus satisfactorium sit saltem denominativè liberum aut dignificatum per actum bonum formaliter liberum. Quia, inquit Arriaga Disp. 20. num. 16. ejusmodi satisfactio est effectus aliquis moralis fundatus in actione libera non minus, quam ipsum meritum, ut proinde sine hac bonitate actionis liberæ non possit explicari proportio inter opus ejusmodi pœnale hujus vitæ, cum dolore surgente ex visionis beatificæ dilatione. 4. ut idem opus sit supernaturale; sic enim probabilius post Suarez & alios censet cit. Author n. 21. quia dolores illi physici purgatorij sunt in ordine longè altiore respectu nostrarum passionum, ut planè non videantur ullam cum illis habere condignitatem. Cæterum opera ex eo, quod sint sub præcepto, non impediuntur ullo modo, quin sint satisfactoria, ut post Suarez, Vasquez, Tanner & plures tenent Cardinal Lugo Disp. 24. num. 34. Palao Tr. 23. Disp. unica. pun. 21. §. 2. n. 10. &c. Unde de Horis Canonicis, ad quas Clerici obligantur, paulò supra egimus, si quidem etiam istæ pro pœnitentia imponi, & as-

sumi recitarique in satisfactionem possunt, 5. ut interveniat DEI acceptatio juxta communem Doctorem opinionem conformiter Tridentino Sess. 14. c. 8. cit. etenim labores nostros Deus ex varijs alijs titulis exigere potest. 6. denique conditio est, ut opus satisfactorium sit pœnale. Ita D. Thomas in 4. Dist. 15. q. 1. art. 5. quæstion. 1. D. Bonavent. Richardus & alij, quos referet & sequitur Suarez D. 37. Sect. 6. n. 2. Ratio est, quia satisfactio est opus, quo quis vindicat & punit in se divinam injuriam. Ergo debet esse aliquo modo pœnalis.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XV. *Error primus.* Factâ peccatorum veniâ nullam pœnam restare, neque ullâ satisfactione opus esse ultra illam. Ita moderni hæretici, Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 3. à fol. 37. Et apud Gui lielmum Amesium Tom. 3. contra Bellarmin. à fol. 329. Calvinistæ communiter asserentes, Christum non solum pro omnibus peccatis, sed etiam per omnibus peccatorum pœnis tam corporalibus, quant cæteris satisfecisse, ac proinde credentibus in Christum & culpam & pœnam non solum æternam, sed etiam temporalem remitti. Nec mirum, Lutheranos & Calvinistas ita unanimiter negare satisfactionem, quia præjurerunt illorum Parentes hæresiarchæ Calvinus L. 3. Instit. c. 4. sect. 25. Et Lutherus in assertione 5. suorum articulorum ajens, *vehementer se odisse vocabulum ipsum satisfactio- nis.* Molinæus à fol. 826. ad stipulatur quidem Calvinistis; interim fateatur, præter satisfactionem Christi aliam à nobis requiri fol. 836. ubi ait oportere, *ut propter peccata nostra humilitemur nocoram DEO, eadem peccata ipsi confitendo, ex corde credendo, hanc esse optimam, imò unicam penitentiam, quod de peccatis doleamus, & bonis operibus studeamus.* Quid opus istis, si Christum in omnibus pro nobis satisfecit, imò superabundè satisfecit; & omnia omnino peccata & pœnas sustulit? tamen possunt in curru volante absque impedimento in cælum evehi. Probat 1. Si post veniam datam DEUS adhuc pœnam exigeret, tunc non penitus oblitus fuisset peccatorum. Consequens repugnat Sacræ Scripturæ Ezech. 18. cit: *peccatorum ejus non recordabor.* Ergo & anteced. 2. Si adhuc satisfacere debeamus, tum Christus non plene pro nobis satisfecit. Consequens, inquit, Amesium fol. 347. repugnat honori Christi. Ergo &c. 3. Christus peccatoribus ignoscens nullam penitentiam imposuit. Ergo nec nos imponere debemus. 4. Si amicitia restituta pœna peccati remanet luetanda, tunc amicus DEI posset condemnari, quod disertis verbis Apostolus detestatur Rom. 8. §. Sublatâ culpâ tollitur effectus. Sed peccatum est causa pœnæ. Ergo sublato peccato tollitur pœna. 6. Contra iustitiam punitur peccatum bis; etenim propter peccata nostra percussit filium suum dilectissimum Isaiæ 53. v. 4. 7. S. Ambrosius Lib. 10. cap. 22. in Lucam de conversione Petri post Christum negatum sic scribit: *Lacrymas ejus lego: satisfactionem non lego.* Ergo opus non est ulla satisfactio-

fatisfactione. Argumenta plura quibus Molinaeus, Amesius, Gerhardus, & ceteri Novatores errorem probare velint, non reperio: plures autem inperfas calumnias, falsitates, cavillationes &c. familiaria ipsorum ad pugnandum arma.

XVI. Errorem hunc repugnantem Sacrae Scripturae, definitioni Conciliorum, doctrinae Patrum, perpetuae Ecclesiae praxi diximus parte prioris. Et bene tenendum, quod is, qui alterum laedit, etiam amicitiam & iustitiam laedit, reconciliarique possit amicitia, remanente reatu iustitiae resarciendae, v. g. cum quis ad petitionem in gratiam recipitur, onus autem resarciendae iustitiae tantum est, ut non nisi longo tempore exsolvi queat. Exemplo sit antiquae nobilitatis Aulicus, qui necessitate pressus Principi suo magnam pecuniae summam abstulit. Princeps remittit illi culpam, restituit illum loco & honori suo in aula, At pecuniam paulatim diminutione salarii vult restituere: vel si contumeliam Principi intulerit, cupit certum honorem sibi ab Aulico illo singulis annis exhiberi in compensationem violati honoris, etiam si suo loco & honori Principis gratiae jam restitutus sit. Sic e contrario fieri potest, ut satisfacta iustitia ab invito, manentibus assiduis odijs. Ita dicimus, fieri in iudicio divino. Laesimus DEUM peccatis nostris, violavimus amicitiam & iustitiam, proinde poenis aeternae addicti sumus; poenas requirit iustitia, aeternas postulabat inimicitia suscepta cum aeterno & infinito Rege, veniam petivimus, placatus est DEUS propter innocentissimam mortem, quam pro nobis Filius DEI sustinuit. In gratiam ergo & amicitiam recepti sumus, aeternitate poenarum (cujus reatus cum amicitia consistere non potest) misericorditer remissa, poenas tamen aliquas temporales iusto iudicio remanere voluit, quas vel hic, vel in altera vita subiremus, scilicet ad correctionem nostram & aliquam laesae iustitiae satisfactionem. Constat hoc ex varijs exemplis Sacrae Scripturae, quae supra adduximus. Plura passim occurrunt in historijs etiam propheticis.

XVII. Respon. ad 1. negando Minorem. Locus Ezechielis intelligitur vel de perfecta contritione, quae delendae culpae & poenae sufficit, vel de oblivione solum culpae, quatenus inimicum Deo & damnationis aeternae reum facit. Non taceam hic scelestam calumniam Molinaei fol. 344. afferentis, DEUM impium, barbarum, tyrannicum Patrem fore, si dimissa culpa, & reatu poenae aeternae adhuc exigeret poenam temporalem, ut ajunt Papistae. Ergo Magistratus saecularis impius barbarus & tyrannicus est, si remissa culpa, adhuc poenam a reo exigit, ut virgis cedatur, patriam aliquamdiu exulet &c. Ergo DEUS erga Davidem fuit impius, barbarus, tyrannus, dum dimissa culpa & poenam aeternam, adhuc poenam temporalem ab illo exigeret, ut persecutionem a filio suo pateretur &c. & impium & diabolicum os? Ad 2. negando sequelam Majoris. Nam supra jam diximus, Christum, licet non plene satisfecerit in actu secundo: tamen satisfecisse abunde in actu primo; quippe merita illius tanta fuerunt, ut si plene nobis applicarentur, omnem culpam ac poenam deleterent, sicuti faciunt in baptismo; in poenitentia vero non plene applicantur, sed solum quoad

culpam, & poenam aeternam. In satisfactione nihil derogat honori Christi, qui bona vim suam habent ex meritis Christi, & in intuitu dantur nobis auxilia actualia ad bene operandum necessaria, & gratia habitualis dignitatem operibus conferens. Sicut fides verbis Legatorum praebita propter auctoritatem Principum, a quibus Legati sunt, & quorum personam sustinent, nihil derogat Principum auctoritati, sed eorum honorem amplificat. Ad 3. Christum peccatoribus non imposuisse poenitentiam, quod vel contriti fuerint, vel ipse Author Excellentiae totam poenam condonarit, quod Sacerdotibus non est concessum. Ad 4. Amicum DEI posse condemnari ad aliquam poenam temporalem, non autem ad aeternam. Nam repugnat divinae iustitiae separatio amici Christi perpetuae & status damnationis, de quo ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis tibi, qui sunt in Christo JESU.*

XVIII. Ad 5. distinguendo Majorem; si effectus non solum in fieri, sed etiam in conservari a causa dependet, concedimus: si solum in fieri, negamus, sicuti filius a parente tantum pendet in fieri, non in conservari; etenim patre mortuo perseverat. Ita poena pendet a culpa tantum in fieri, non in conservari; quomodo debitor creditori debito tempore non solvens debitum sub certa poena promissum offendit creditorem, qui minatur, se illi amplius non daturum metuum; & licet humili deprecatione debitor illum reconciliet, debet nihilominus statutam poenam solvere. Ad 6. patere ex dictis, scilicet Christum, licet in actu primo abunde satisfecerit pro culpa & omni poena, non tamen applicasse plene sua merita, sed tantum pro culpa, & poena aeternae pro temporali vero voluisse, ut ipse homo eadem merita per propriam satisfactionem sibi applicaret, sicque poenam illam temporalem expungeret; unde clarum est, nec idem peccatum bis puniri, nec DEUM iniustitiae argui posse, quasi pro una eademque poena satisfactionem a duobus, hoc est, a Christo atque ab homine exigeret. Nam hoc nullo modo DEUS facit, sed solum vult, ut perfectam illam Christi satisfactionem homo sibi applicet, quam Christi satisfactionem ab homine per divinam gratiam debite sibi applicatam tanquam satisfactionem hominis pro poena DEUS benignissime acceptat. Ad 7. D. Ambrosium nomine satisfactionis non intellexisse solutionem poenae, sed defensionem peccati, ut patet ex sequentibus verbis: *sed quod defendi non potest, abluere potest*; in quem modum satisfactionem sumpsit S. Petrus Epist. 1. c. 3. v. 17. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe.*

XIX. Error secundus. In Sacramento Poenitentiae nihil operis laboriosum a Sacerdote imponi debet. Ita idem haeretici Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 3. fol. 84. Calvinistae apud Amesium Tom. 3. fol. 203. Probant 1. Christum nusquam jussit, ut Apostoli poenitentibus poenas satisfactorias imponerent, sed in nomine suo poenitentiam & remissionem peccatorum praedicare jussit. Prob. 2. Nusquam vel Christus vel Apostoli poenitentibus certas multas indixisse leguntur, sed gratuitam peccatorum remissionem illis annunciarunt, & a peccatis imposterum cavere jusserunt. Incestuosum Corinthum sermo ad Deum conversum sine ullius satisfactionis interventu Paulus

Paulus recepit &c. Prob. 3. Pœnitentes ex aliquorum Theologorum Pontificiorum sententia reculare satisfactiones absque peccato possunt: Item Sacerdos potest nullam imponere penam satisfactoriam. Prob. 4. Eadem & eorundem peccata eodem tempore hæc ratione solverentur & ligarentur; solverentur in absolutione: ligarentur in pœnæ & satisfactionis injunctioe. Prob. 5. Vetus illud Ecclesiæ institutum in satisfactionibus publicis spectabat solum ad externam quandam Ecclesiæ disciplinam illis temporibus utilem ad cavenda scandala; siquidem tunc temporis plerique Magistratus erant gentiles, & multa vitia relinquebant impunita. Addit Molinæus fol. 328. eò rem apud Papistas venisse, ut pro pœnitentia & satisfactione imponantur homicidia, traditiones, & inhonesta quævis opera.

XX. Errorem hunc rejicit Tridentinum Sess. 4. c. 3. ubi *Satisfactio pro materia hujus Sacramenti assignatur. Et c. 8. ubi dicitur, Sacerdotes debere salutare & convenientes satisfactiones injungere, idque non solum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prætoriorum peccatorum vindictam & castigationem, eò quod claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum etiam sint concessæ.* Et can. 15. habetur: *si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datæ tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas consentibus, agere contra finem clavium & contra institutionem Christi &c. anathema sit.* Quare huc etiam pertinet ex Scriptura illud Matth. 18. v. 18. *Quacunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo.* Et Joan. 20. v. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis (scil. etiam quantum ad pœnæ reatum) retenta sunt.* Sac. Concilio Tridentino S. Scripturæ innixo consentiunt alia Concilia Nicænum can. 12. Carthaginense IV. can. 76. Arausic. c. 1. can. 3. &c. Item Patres Cyprian. Lib. de Lapsis. Ambrosius Lib. 1. de Pœnit. c. 16. Hieronym. in Epitaphio Fabiol. ad Oceanum. Gregorius in 1. Regum c. 7. & plures alij, quos refert Jacob. Keller in Papat. Cathol. Tom. 2. à fol. 759. Audiamus solum Leonem Epist. 91. ad Theodorum, ubi sic loquitur: *Mediator DEI & hominum homo Christus JESUS hanc Præpositi Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & consentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Kemnitius alijque Sectarij non habent, quod Patribus opponant, nisi eos excessisse, & hyperbolicè magis, quàm verè scripsisse. Scilicet isti scicili meliùs intelligunt verba & sensum S. Scripturæ, quàm Sac. Concilia & sanctissimi & Doctissimi Ecclesiæ Patres. Sed sic sapiendo, quàm maxime insipiunt. Accedit ratio, quæ multipliciter congruum fuisse ostendit, ut in Pœnitentiæ Sacramento DEUS vellet per Ministros suos, etiam multam peccatoribus imponi. 1. qui peccant ante Baptismum majori misericordiâ digni sunt, quàm qui post baptismum. 2. maxime contentaneum est, ut si DEUS ex misericordia condonet peccata, etiam Justitiæ, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit. 3. Pœnitentia, quia est medicamentum animæ vulneratæ, id planè, exigat, ut qui curatur, medicinales unctiones, pharmaca amara, aliæque id genus multa sustineat.

XXI. Respon. ad 1. probationem Adversariorum negando, Christum nusquam instituisse Apostolos, ut pœnitentibus pœnas satisfactorias

imponerent. Nam sicut Christus Apostolos universim instituit de Sacramento Pœnitentiæ, ita singillatim partes ejusdem explicavit, quantumvis istud speciatim non sit scriptum. Quomodo enim aliàs Concilia & Patres ita ferid & unanimiter pœnas à Sacerdotibus imponendas urgerent, nisi hæc doctrina ad illos venisset ab Apostolis, & isti à Christo eandem accepissent. Verum est, Christum jussisse Apostolos prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum, sed simul etiam explicare, quæ in illo Pœnitentiæ Sacramento partes continerentur, & quid ratione istarum fieri oporteret. Ad 2. Christum utpote Supremum ac independentem Judicem tenentur judicare & absolvere secundum præscriptum ordinem & legem, quæ requirit, ut licet peccata jam fuerint dimissa, nihilominus peccatori ex jure pœna temporalis remaneret luenda; siquidem justitia exigit, ut nulla culpa sit impunita; nempe ordinariè, fieri enim potest, ut peccator vel in præsentia Christi, aut Apostolorum, vel per specialem Spiritus Sancti gratiam adeo conteratur, & in talem cordis dolorem moveatur, qui omnem culpam & pœnam delet, sicut de nonnullis historiæ produnt, nominatim in vita S. Vincentij Ferrerij apud Surium 5. April. Ad hæc Apostoli maxime in convertendis & baptizandis Infidelibus laborarunt; Baptismum autem simul peccatum & pœnam delere, paulò supra diximus. Ad 3. Pœnitentem teneri pœnitentiâ aliquâ justâ à Confessario impostâ acceptare ac implere, ut communis habet Doctorum sententiâ, adeo ut Valquez. quæst. 94. art. 2. dub. 1. n. 4. affirmet, id nunc esse de fide definitum; unde viderint, qui contrarium cum Scoto & Gabriele tenent, quorum opinionem Suarez D. 38. sect. 7. n. 2. saltem temerariam censet. Ratio sumitur tum ex illis, quæ recens contra errorem istum diximus, tum quia alioquin Sacerdos frustra obligaret pœnitentem; imò obligare omnino non posset, si hic ad obtemperandum non teneretur, tum quia non minus pœnitens quàm Confessarius teneretur ad procurandam eam Sacramenti integritatem in exhibenda satisfactione positam: atque in omni foro teneretur reus obtemperare Judici in acceptanda justâ pœna, & hic quidem per seipsum exequenda, cum hoc judicium sit voluntarium ac spontaneum, non verò coactum & violentum. Quando vel Jesuitæ (quos solos nominat Amesius) vel alij Pontificij ajunt, Confessarium non teneri semper ad pœnitentiam imponendam, id non nisi de rarissimo casu intelligendum v. g. cum pœnitens vel est in articulo mortis, aut ob amissam rationis usum impotens ad præstandam satisfactionem: item quando ex circumstantijs constat, ratione contritionis aut aliorum operum pœnitentem jam ante integrè satisfecisse pro suis peccatis, nec ullâ medicinâ ulterius opus habere. Notat etiam Tanner Tom. 4. D. 6. Quæst. 8. n. 14. obligationem imponendæ & acceptandæ pœnitentiæ etiam ad tempus jubilæi extendi, idque non malè; quidquid secus putet Bellarminus Lib. 1. de Indulg. c. 14. ex antiquis quibusdam Indulgentiarum formulis, quæ tamen ad publicas potius, quàm privatas pœnitentias respexerunt;

runt; quippe per indulgentiam non tolli debet propriæ satisfactiois necessitas, saltem in quantum medicinalis est.

XXII. Ad 4. proderet Adversarios hæc probatione insignem suam ignorantiam, dum Sancti Patres & Catholicos Doctores contradictionis arguere volunt. Quid enim, quæso, in hoc contradictionis? nunquid etiam inter homines potest offensa ac injuria remitti sub modo aliquo aut conditione? exemplum clarum supra §. XIV. attulimus de aulico, qui post damnum illatum Principi suo iterum huic reconciliatur cum onere resarciendi damnum. Ad 5. constare hanc probationem ex meritis figmentis. Nam oppositum semper in Ecclesia Catholica viguisse, & in privatis confessionibus fuisse penas satisfactorias penitentibus impositas, patet manifestè ex Concilijs & Patribus adductis, è quibus D. Gregorius in 1. Lib. Reg. c. 7. sic scribit: *Afflictio penitentia ad delenda peccata tunc demum est idonea, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata: cum ab eo consentium altibus discubis pro modo criminis omnis ejus decernitur afflictionibus*. Igitur eò tendit ex mente SS. Patrum pena juxta rationem delicti à Sacerdote imposita, ut peccatum per illam penitus deleatur, & ita DEO plenè satisfiat: non verò solum, ut scandala vitentur, & disciplinæ Ecclesiasticæ serventur, sicuti hæretici ex vano fingunt, & plebi illudunt. Id, quod ex Molinæo addidimus, calumnia est coronata & palpabilis. Omnes Catholici Doctores, dum agunt de Penitentia operibus à Confessario imponendis docent unanimiter, ea oportere esse bona opera; inhonestum autem opus non est bonum. Videatur Forerius in antiquitate Papatûs L. 7. pun. 8. controvers. c. 1.

XXIII. Error tertius. Justi per opera pœnalia, qualia dicunt orationem, jejunium, elemosynam &c. pro reatu pœnæ temporalis satisfacere non possunt. Ita communiter Sectarij Lutherani & Calvinistæ Petrus Molinæus, Jacobus Hailbrunner, Meno Hanneken, Joan. Gerhardus L. 2. Part. 3. à fol. 79. & à fol. 940. Amestius Tom. 3. contra Bellarminum à fol. 207. & alij. Probant. 1. Ezechielis 33. v. 12. *Impietas impij non nocet ei, quo die conversus fuerit ab impietate sua*. Prob. 2. Loca à Pontificijs è scriptura adduci solita sonant præceptum divinum. Atqui eorumdem opinione satisfactio constat operibus indebitis, non præceptis. Ergo hæc satisfactio ex Scriptura non ostenditur. Prob. 3. Sacra Scriptura in multis locis adversatur eidem satisfactioi per orationem elemosynam & jejunium. Nam Usus Horarum Canonicarum & obligatio ad istas repugnat libertati Christianæ toties in nova Lege assertæ. Elemosyna, quam Daniel suavit Nabuchodonosori nihil facit ad satisfactioem apud hominem infidelem, gentilem, & extra Ecclesiam existentem; unde miratur Molinæus in suo Neopapatu fol. 880. Cardinalem Bellarminum hoc non observasse. Jejunium non stat cum mandato Christi Luc. 16. v. 7. *Manducate, quæ apponuntur vobis; ubi quovis tempore promiscuè quosuis cibos sine delectu manducare jubet*. Unde Apostolus 1. Timoth. 4. v. 1. & seq. in novissimis, inquit, temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis demoniorum in hypocrisis loquentium mendacium & cauteriatam habentium suam conscientiam prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus; quia omnis creatura DEI bona est, & nihil rei-

ciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum DEI & orationem. Probant 4. Satisfactio nostra per opera pœnalia derogat meritis Christi, qui abunde tam quoad culpam, quam quoad pœnam pro nobis satisfecit. Probant 5. Quidquid facere possumus aut pati, id totum innumeris titulis DEO est debitum. Non potest autem debitum per debitum solvi. Et quomodo Deo satisfacere possumus, cum servi simus inutiles, si etiam totum, quod fuit nobis præceptum, faceremus. Luc. 17. v. 20.

XXIV. Errorè hunc rectissimè damnarunt Sacra Concilia Florent. & Tridentinum supra §. IV. allegata. Nam omnes omnino Patres partim Apostolorum coetanei, partim immediati Successores docuerunt, per opera pœnalia, nominatim per Orationem, Elemosynam, Jejunia posse justos pro pœna temporalis satisfacere; quis autem sanæ mentis dubitare potest, quin hæc ipsorum doctrina sit secundum genuinum Sac. Scripturæ sensum, atque in primitiva Ecclesia firmissimè credita. Agnoscit istam communem Patrum mentem ipse quoque Calvinus nimis apertè, quantumvis stultissimè judicet, melius esse, illos reprehendere, quam sequi. Ita Lib. 4. c. 38. Institut. scribit: *parum me moventis quæ in Veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter omnes fere, quorum libri extant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè, ac durè locutos*. Et paulò post: *scio, inquit, Veteres interdum duriusculè loqui: nec, ut nuper dixi, lapsos esse nego &c.* Quæ est hæc Calvinæ arrogantia, & intolerabilis superbia? dum unus ipse tot Ecclesiæ Lumina, quæ varijs temporibus non solum insigni doctrinâ, sed etiam probitate incomparabili, pariter miraculis aut martyrio claruerunt, prorsus contemnere & castigare non erubescit? In hac temeritate & impudentia sequuntur Calvinum non solum Calvinistæ, sed etiam Lutherani jam aliàs ex ductu Lutheri sui ad contemptum SS. Patrum Gerhards. Et hos contemptores Sanctorum Patrum Fidei tradendæ divinitus concessorum putemus Refomatores à DEO datos veræ doctrinæ?

XXV. Respon. ad 1. probationem. Dicitur illud Ezechielis c. 33. non posse intelligi de pœna temporalis; cum manifestum sit exemplis supra allatis Adami, Moyse, Aaronis, Davidis &c. hocce post peccatum dimissum tamen temporaliter fuisse punitos. Intelligitur igitur duntaxat de nocumento æterno. Sicuti vice versâ bona opera impiorum DEUS sæpenumero temporali mercede remuneratur, ut docent Sancti Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Chrysostomus & alij Patres. Ad 2. probationem. negando Minorem, si de indebitis absolute procedat; etenim talia opera satisfactoria; etsi aliàs forent indebita, si homo maneret innocens; at ubi lethali peccat; illorum debitum ex præcepto divino incurrit; id quod verum etiam est de elemosyna & orationibus frequentibus & liberalioribus, ac multò magis de jejnijs & cæteris abstinentijs & austeritatibus, quas SS. Patres in verè penitentibus tantopere requirunt. Urget Amestius fol. 216. opinione Pontificiorum indulgentiæ remittunt satisfactioes. At non soluunt nos illis præceptis: *Facite fructus dignos, agite penitentiam &c.* Ergo ista non sunt satisfactioem præcepta. Verum est, indulgentias non sol-

vere à præcepto illo universali solvendi debita: atamen efficiunt, ut non restet alicui debitum ulterioris satisfactionis. Ad 3. probationem Negando, Sacram Scripturam in ullo loco adversari satisfactioni per orationem, Eleemoynam, Jejunium. *Quoad orationem.* Ufus horarum Canoniarum & obligatio ad istas non derogat libertati, quâ nos Christus donavit, per hanc quippe solum eximur à jugo veteris legis: non autem ab obedientia debita Præpositis Ecclesiasticis, quibus ipse Dominus in Evangelio obtemperare nos iussit, Matthæi 23. v. 3. *omnia quaecumque dixerint vobis, servate & facite;* id quod maxime Dominus intelligi voluit de Ecclesiæ Prælati; adeoque salvâ libertate Christianâ his obedientia præstatu orando horas canonicas, jejunando &c. Dicunt Adversarij, orationem non esse laboriosam & dolorificam, quod tamen Gregorius de Valentia Lib. de Satisfact. c. 4. & alij Pontificij ad opus satisfactorium requirunt. Respon. si oratio cum suis circumstantijs ritè peragatur, & flexis genibus & ex panis brachij longius producatur, quisque experientia discet, orationi laborem & dolorem non deesse. Sed de hac experientia nihil sciunt Prædicantes, quia nihil aut parùm orant.

XXVI. *Quoad Eleemoynam,* facit hæc eximie ad satisfactionem, & sapientissimè suasa fuit à Daniele Nabuchodonosori, quantumvis iste tunc fuerit adhuc in statu peccati, & extra Ecclesiam; quod etsi ex dictis satis constare possit, quia tamen Adversarij adeo urgent. Advertendum, Eleemoynam habere triplicem virtutem, Impetratoriam, Satisfactoriam, Meritoriam. Primam harum habet Eleemoyna ante hominis conversionem, si ex divino auxilio procedat: secundam & tertiam habet post hominis conversionem, acceptâ jam gratiâ sanctificante. Jam esto Daniel præcipue & primariò suaserit Nabuchodonosori eleemoynam tanquam dispositionem præviam & medium perquam utile impetrandi contritionem veram, & mediante hac peccatorum remissionem, uti Suarez in 3. Part. Tom. 4. D. 37. sect. 2. n. 9. alijque Scholastici docent, siquidem frustra quis contendit obtinere remissionem pœnæ, priusquam culpa fuerit condonata, nihilominus nemo inficias ibit, Prophetam consilio suo spectasse secundariò ad remissionem pœnæ temporalis peccatis decretæ, cum ex textu liqueat, illum Regi ostendere voluisse viam, quâ simul avertere à se posset & culpam & pœnam in somno à DEO intentatam, ad quod eleemoyna post conversionem facta medium est imprimis aptum. Atque has ambas operationes & effectus eleemoynæ Daniel verbis suis innuit, siquidem tam postquam ante Regis conversionem fuit locutus & pro utrisque consilium præscripsit. Unde D. Cyprianus Lib. de Opere & Eleemoynis dixit, *si Rex Nabuchodonosor audivisset consilium Danielis, futurum fuisse, ut pœnam, in quam postea incidit, evitaret, cum vocem tam redemptionis, quam satisfactionis usurpaverit.* Sentit igitur Pater iste, Eleemoynam ita esse constitutam ut eam DEUS pro pœna temporali loco redemptionis receperet, & istum pro pœna temporali contentum reddat. Quid autem hoc est aliud, quàm satisfactio? Ad id, quod fuit adjectum, Nabuchodonosorem fuisse extra Ecclesiam, potuit in Veteri Testamento extra Judaicam Ecclesiam

peccatum redimi per veram contritionem, cum illa non fuerit universalis Ecclesia. In novo Testamento debet quis esse in statu gratiæ & Ecclesia Christi re aut voto, si DEO satisfacere cupiat, quo modo etiam Ethnici, si se converterant, esse in Ecclesia Christi possunt. Fieri etiam ex iustis causis potest, ut Confessarius injunctum opus satisfactorium corporis nimis afflictivum commutet in pecuniam seu Eleemoynam pauperibus largiendam; quidquid Molinæus & alij Sectarij insulse rideant. Videatur Baronius ad A. C. 1055. n. 9. quomodo istud antiquitus fuerit factum.

XXVII. *Quoad jejunium.* Optimè istud stat cum mandato Christi. Verba Luc. 10. si secundum litteram sumantur, absurdè sequitur, Christum jussisse non solum manducare cibos contra legem Moysaicam oppositos, aut etiam in lege nova veritatem sanguinem & suffocatum, sed etiam venenum, aut quodvis aliud noxium, si apponeretur. Voluit ergo Christus ex communi Patrum interpretatione per illa verba discipulos suos exhortari ad frugalitatem, ut ad quocumque divertissent, non lautitias ciborum quærent, sed appositos cibos licet viliores sumerent, & his contenti essent. Verba quoque D. Pauli ad Tim. 1. c. 4. non spectant ad Christianos, sed ad antiquos hæreticos Simonianos, Saturnianos, Ebionitas, Marcionitas, Manichæos, & Encratitas, qui putabant cibos quosdam per se malos & à DEO malo procreatos; item nuptias à malo deo vel dæmone institutas, ut testatur Clemens, Epiphanius, Chrysofomus, Ambrosius, Augustinus & alij, quos cum suis locis adducit Tirinus in hunc textum. Nos autem Catholici non prohibemus legitimas nuptias, sed solum sacrilegas sacerdotum & Monachorum, nec interdicimus carnes tanquam in se & per se malas, sed solum abstinencia à quibusdam cibis per certos dies præcipitur ad refrænantandam concupiscentiam, ad exercendam obedientiam, pœnitentiam, studium orationis &c. exemplo Joannes Baptistæ & infinitorum Sanctorum primitivæ Ecclesiæ. Sed cur, inquit Adversarij, piscibus & vino non interdicitur; cum illi bene conditi: & istud generosum æquè carnem irriter? Facilis est responsio; quippe certum est, pisces per se, utpote tenuioris substantiæ, magis ad finem jejunij conducere, quàm carnem, & per acidens est, si illi lautius, quàm ista candiantur, ad quod non potuit respicere Ecclesia, sed communem aliquam certamque regulam statuere debuit. Vinum Ecclesia veluti Mater permisit corpori calefaciendo; cum de cætero nullam pareret materiam, sicuti carnes. Molinæus fol. 697. comparat nos Catholicos Montanistis hæreticis, ajens, hos pari nobiscum modo fuisse de suis jejunij locutus, & tamen ab Ecclesia damnatos. Sed nequiter, calumniosè, & imperitè. Nam Montanus cum suis jejunij ab Ecclesia fuit rejectus ob has causas. 1. cum homo esset privatus, universalem Ecclesiam jejunij gravavit. 2. hoc fecit quasi Spiritus Sanctus, ut ait Spontanus ad A. C. 171. n. 3. putavit, hominem spiritualem esse non posse, qui non sua observaret jejunia. 4. voluit contra usum Roman. Ecclesiæ, homines non nisi exsiccatos vesci debere cibis. 5. triplex suum jejunium ordinavit, putans tres esse Salvatores, ut testatur S. Hieronymus, epist. 54. Quomodo ergo fieri potuit, ut Montanistæ hæretici paria nobiscum verba facerent? Videatur Forer. Lib. 7. pun. contr. 5.

XXVIII. Ad 4. probationem. Satisfactionem nostram nihil prorsus derogare meritis Christi, uti ex sæpe jam dictis constare potest, quæ summam repetendo huic syllogismo includo. Qui confitetur, omnem vim & virtutem imò omne pretium satisfactionis suæ pro suis culpis & pœnis provenire ex meritis & satisfactione Christi, nihil meritis & honori Christi derogat, sed potius extollit. Atqui nos Catholici confitemur, omnem vim & virtutem, imò omne pretium satisfactionis nostræ pro culpis & pœnis provenire ex meritis & satisfactione Christi. Ergo nihil derogamus meritis & Passioni Christi, sed magis exaltamus. Minorem nemo melius quam nos ipsi sciri potest. Majorem probamus. Quia in peculiarem Christi honorem cedit, id tum per sanctissimam Passionem suam meruisse, ut nos miseri homines cœlesti adjuri gratiâ ex peccatis surgere, & ad divinum favorem pervenire, atque etiam per exigua opera nostra apud Deum mereri, ac pro reliquis peccatorum pœnis satisfacere valeamus, id quod totum sit virtute Christi, qui talia nobis media meruit. Confirmatur, Si doctrina, quod Domino DEO bonis operibus pro peccatis ac pœnis satisfieri possit, honori & meritis Christi derogat, omnes Sancti Patres non solum fuerunt ignari rerum fidei, sed etiam blasphemi, & suum Christo honorem abstulerunt; siquidem nemo unius ex omnibus sibi non persuasit, esse in operibus nostris à Christo pretium, quo peccata ac penas redimere queamus. Reclamant hæretici. Christus pro omnibus nostris peccatis & pœnis per omne tempus & æternitatem quoad sufficientiam, quantum scilicet. divinæ justitiæ placandæ sufficiebat, satisfecit & pretium solvit. Minime hoc negamus. Verum æternus Pater ex patre cum Christo inito non aliter accepit, nisi hæc conditione, ut intuitu satisfactionis Christi culpa & pœna æterna per Baptismum & alia Sacramenta: pœna autem temporalis tum per Sacramenta & contritionem, tum per opera nostra satisfactoria aut etiam per indulgentiam remittantur. Quamvis igitur Christus etiam pro pœnis temporalibus satisfecerit abunde quoad sufficientiam, tamen æternus Pater quoad effectum acceptate non vult extra Sacramentum & indulgentiam, nisi per opera nostra satisfactoria, quibus sæpe dicta merita, Satisfactionem & pretium Christi nobis applicemus. Instant. Repugnare ignem purgatorium esse applicationem satisfactionis Christi: item Misericordiæ DEI adversari, Filij sui beneficia per opera pœnalia nobis applicari. Affingitur nobis, quasi diceremus, ignem purgatorium esse medium applicationis, cum non sit in hac vita: nec medium satisfactionis, sed ipsa pœna, quam sustinere quis debet, donec DEO satisfactus videatur. Si Misericordiæ DEI adversetur, beneficia dilecti Filij nobis per cruces & tribulationes applicari, possunt Adversarij contra istud litem movere S. Paulo hoc asserenti Rom. 8. v. 17. *Cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & glorificemur. Quid istud est aliud, quam ultra satisfactiones Christi ex parte nostra aliquid adhuc requiri.*

XXIX. Ad 5. denique probationem, supra jam fuisse dictum, opera nostra non ita esse DEI propter ordinarium concursum, additæque gratias, quin etiam sint nostra propter arbitrij nostri libertatem, quæ illa facimus, & quia DEUS ex sua

miseriordia tanquam nostra propria acceptare dignatur. Cæterum verba Christi Luc. 17. non ita sonant: servi inutiles sumus; sed: *dicite, servi inutiles sumus.* Quo Christus innuere voluit, ut de nobis atque operibus nostris demissè semper sentiremus & loqueremur; siquidem totum, quod facimus, non ex proprijs viribus, sed ex gratia DEI facimus, ut S. Ambrosius Lib. 8. in Luc. declarat. Et S. Paulus 2. Ephes. v. 28. & 2. Corinth. 3. v. 5. indicat, scilicet. servos nos esse inutiles, tum vires nostræ solæ servandis præceptis non sufficiant; interim inficias non ita, nos per media divinorum auxiliorum aliquotusque utiles esse, siquidem scribit ad Timoth. 2. epist. cap. 2. v. 21. in hæc verba: *si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vās in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum paratum;* attamen solummodo per gratiam DEI.

XXXIX. Error quartus. Flagellationes alijque corporis cruciatus DEO non probantur, ideoque nec meritotij, nec satisfactorij sunt. Ita communiter hodierni Novatores Gerhardus in Confess. sua Augustana Lib. 2. P. 3. à fol. 114. Pet. Molinaus. Jacobus Hailbrunner &c. Probant. Tum ex Sac. Scriptura Ad Ephes. 5. v. 29. *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Jac. 58. v. 5. *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. Nunquid tale est jejunium, quod elegi.* Colossens. 2. v. 23. Paulus caveri vultu eos, qui corpori non parcent; Unde idem 1. Cor. 9. v. 27. cit. loquitur metaphoricè de illicitorum corporis motuum suppressione. Tum quia flagellatio cedit in injuriam Christi, qui pro nobis flagellatus fuit & satisfecit. Tum quia flagellatio ethnicismum sapit, unde originem traxit. Tum quia eadem mori idololatrarum Baals non est absimilis. Tum quia ordo flagellantium Papæ & Imperatori valde displicuit, contra quam sententiam Joannes Gerson durante Concilio Constantiensi an. 1417. tractatum scripsit.

XXXX. Errorem istum sufficienter rejiciunt antiquorum Patrum doctrinæ & sanctissimorum hominum exempla; quorum supra s. XII. meminimus. Labet obiter solum indicare, quod de sancto Elzeario Comite scribit Surius in ejus vita 27. die Septemb. nempe quod, cum nescio cujus noxæ periculum adijisset, Christus eum per totum carminis Davidici, quod quinquagesimum numeramus, decursum, flagellis ceciderit. Ecce Christus adhuc in ista vita pro culpa levi ejusque satisfactione flagellat S. Elzearium, cur nosmetipsi flagella nobis incutere nequeamus; ut pro gravioribus culpis & pœnis satisfaciamus? conditiones omnes ad condignam satisfactionem requisitas & supra s. XII. recensitas æque flagellationes cæteræque corporis asperitates habent, ac oratio, jejunium, & cætera pia opera pœnalia. Non igitur est negandum, omnia hæc DEO probari, ideoque & meritotia & satisfactoria esse.

XXXI. Respon. ad 1. probationem ex scriptura, flagellationem & disciplinam non repugnare amori; quia DEUS homines præsertim electos amat, & quidem impensè; & tamen, quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. proverb. 3. v. 12. Juxta D. Paulum igitur ad Ephes. 5. is, qui corpus flagellis castigat, non osor, sed sincere illius amator est. Jac. 58. non rejicit DEUS jejunium tite institutum?

tutum; sed inter vitia & averfionem voluntatis à DEO fufceptum, ut bene declarat D. Hieronymus Lib. advers. Jovinianum; quomodo utique etiam flagellationes DEO non probabuntur. Coloffens. 2. loquitur Apostolus de Lege Moysaica & huic adhærentibus confuetudinibus aut superstitionibus Pharifæorum, qui à certis quibus cibis tanquam immundis se abftinebant. 1. Corinch. 9. verba D. Pauli præsertim adjunctâ interpretatione Patrum & Doctorum clara sunt; cur ergo in eis ad tropum fugiam, hoc est, nodum in scirpo quæram, nullam rationem video; nec sectarij quærent, nisi disciplinæ, hoc est, castigationis per verbera sponte fufceptæ capitales hostes essent. Ad 2. probationem. SS. Patres & univerfa Catholica Ecclesia, quæ asperrimam vitam & severas Sanctorum castigationes flagellis, cilicij &c. exercitas semper approbavit & laudavit, novit utique, quid sanctiffimæ Passioni ac meritis Christi injuriosum fit, quid non, cur ergo toti huic Ecclesiæ & univerfis Patribus non potius fidem habeamus, quàm hæreticis heriatis & corporum fuorum ac voluptatum mancipijs? Quidquid istis corporum cruciatibus apud DEUM obtinetur, fit illud ex meritis & satisfactioe Christi, ut jam sæpe diximus. Taceo assumi durities has corporum non solum ad satisfaciendum, sed etiam carnem crucifigendam cum vitijs & concupiscentijs. Gal. 3. v. 24. Ad 3. nullius momenti esse hanc consecutionem; Ethnici hoc vel illud fecerunt. Ergo est illicitum. Alioquin multa rejici oportet, quæ in se mala non sunt, & ideo alio modo aliâque intentione rectè pièque fieri possunt. Gentiles utique sacrificia obrulerunt, orationes fecerunt &c. Nos idcirco DEO non sacrificemus? preces non offeramus &c? aut Populus Judaicus ideo non fuit ausus sacrificia offerre DEO? Patres etiam probè noverunt hunc Ethnicorum morem, & tamen Christianorum asperitates & corporum castigationes non reprehenderunt. Ad 4. Veritates sectariorum haud abfimiles esse mendacij & fraudibus illorum sacerdotum Baals. Quidquid fecerint isti sacerdotes Baals. Sancti Patres & univerfa Ecclesia nunquam improbarunt flagellationes cæterasque corporis asperitates; imò easdem semper magni æstimarunt. Si diabolus aliquando Prædicantem ageret, ut fieri facilè posset, nunquid omnes prædicantes desinere velent, esse Prædicantes? Ad 5. & ultimam probationem, etiam nobis non placere flagellatores, non præcisè, quod flagellaverint se, sed quod modum & rationem excefferint, simulque in hæresin inciderint, ut patet ex Gerson allegato; quia in magno numero ex uno in alium locum se conferebant non absque periculo seditionis ac tumultûs recusantes obedire legitimo Magistratui: constat per experientiam, inquit Gerson. part. 1. pag. 637. operum fuorum, quod taliter se flagellantes non curant de Sacramento Confessionis vel Pœnitentiæ Sacramentalis dicentes; quod hæc flagellatio potior est ad delenda peccata, quàm qualibet confessio. Propter hæc & similia Flagellantes merito damnati omnibus displicuerunt.

✠:o: IHS. :o: ✠
✠:o: ✠
✠

CONTROVERS. LXXVII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Vocatur Sacramentum istud Extrema Unctio; tum quia per unctioe quandam confertur, tum quia est extremum omnium Sacramentum, & in extremo vitæ articulo adhibetur. Referunt nonnulli Authores, oleum in mare effusum sedare tempestatem. Verius sacrum istud oleum sedat fluctus tentationum à dæmone excitatarum in agone mortis, ubi maxime latet tempestat.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Extrema Unctio est verum proprièque dictum Sacramentum à Christo Domino institutum. Est de de Fide ex Tridentino sess. 14. can. 1. *Siquis dixerit, Extremum unctioem non esse verè proprièque dictum Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo promulgatum, sed ritum tantum à Patribus acceptum, aut signum humanum, anathema sit.* Fundamentum hujus articuli præcipuum est D. Jacobus Apostolus cap. 5. suæ epistolæ v. 14. sic scribens: *Infirmitur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in Namine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittetur ei.* Ubi omnia ad essentiam Sacramenti requisita exprimuntur; scil. ceremonia seu signum sensibile, unctio olei cum oratione: pignus seu promissio gratiæ ad remittenda peccata: mandatum divinum; inducat presbyteros, & orent super eum. Unde formatur hic syllogismus. Omnis ceremonia Sacra, sensibilis, stabilis in pignus gratiæ instituta, Ergo &c. Et quamvis Jacobus nullam faciat mentionem institutionis Christi, tamen ex ipso loquendi modo facilè colligitur; neque enim ausus fuisset tam asseveranter promittere remissionem peccatorum, nisi scivisset promissionem Christi, qui non dedit Apostolis potestatem instituendi Sacramenta, sed sibi reveravit.

II. Quando verò hoc Sacramentum Extremæ Unctiois fuerit institutum, non convenit inter Doctores. Aliqui volunt institutum fuisse Marci. 7. v. 3. ubi de Apostolis, sic legitur: *ungebant oleo egros, & sanabantur.* Alij putant institutum fuisse in ultima cœna, ut habetur ex traditione Apostolica, licet in Evangelio non exprimat, teste Fabiano Papâ, qui ante annos 1200. ad Episcopos orientales scripsit, & iussit eos, more Romano in cœna Domini novum chrisma consecrare, & vetus comburere hoc argumento; *in illo enim die Dominus JESUS, postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicuti à SS. Apo-*